



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

I. De clericis peregrinis & ignotis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

690	EVGENIVS P. IV.	CONCILIVM	FRIDERICVS III. IMP.
		spiritualibus exigatur vel pro- mittatur.	XXIV. De pænitentiis & remis- sionibus.
		XXI. De Iudeis.	XXV. De sententia excommunicati- onis, interdicti & suspensionis.
		XXII. De usuris & usurariorum pænis & preemptionibus.	XXVI. De publicatione statutorum, & eorum copia habenda.
		XXIII. De pænis.	

### P R Æ F A T I O.

**A**d laudem & gloriam Dei omnipotentis, salutem quoque gregis nobis crediti. Nos Nicodemus eiusdem gratia episcopus Frisingensis, vna cum venerabilibus fratribus nostris sincere dilectis, Nicolao præposito, Henrico decano, totoque capitulo ecclesie nostræ Frisingensis, nec non venerabilibus patribus, honorabilibusque nobis in Christo dilectis abbatibus, præpositis, archidiaconis, decanis, ac vniuerso clero nostræ diœcesis, nobis in hac sacra Synodo assistentibus, ad coercionem excessum, reformationemque morum, diligent ac matura deliberatione præhabita, infra scriptas constitutiones & statuta ex causis rationabilibus solenniter & communiter edidimus, & præsentibus promulgamus, sub poenis quoque in eis contentis præcipimus inuiolabiler obseruari, & vt infra continetur, in anno bis publicari.

### C A P I T V L A.

#### I.

Quia pastorali solitudini incumbit, subditis prouidere, ne ab ignotis seducantur, quos nonnunquam percepimus retroactis temporibus abiectos, & quod detestabilius est, facinorosos, inhabiles circa diuina, se ingessisse in animarum pericula & scandala plurimorum, districte sub excommunicationis poena præcipimus & mandamus vniuersis nostræ diœcesis prælatis, decanis, ecclesiarum rectoribus, plebanis & vice-plebanis, ne de cetero aliquem alienæ diœcesis, seu ignotum etiam peregrinum se pro presbytero, seu in sacris constituto gerentem, ad



ANNO CHRISTI 1440. ipsorum consortium sacramentorum & sacramentalium administrationem, vel alias ad regimen quoquo modo admittant, nisi desuper literis nostris aut vicarii nostri patentibus, aut aliis legitimis documentis fuerint certificati.

II.

Ne quisquam laicus vexetur per inanem citationem laboribus & expensis, statuimus & præcipimus omnibus iudicibus ecclesiasticis nostræ dioecesis, ne laicos quoslibet ad audiendum sui citent vel euocent, nisi causam citationis exprimant nominatim & expresse, quæ ad forum pertineat ecclesiasticum de iure vel consuetudine, nec citatum super aliis causis quam in citatorio expressis respondere compellant. Quoniam frustra forent iudiciorum strepitus & diffinitiones, si non fierent earumdem executiones. Statuimus & sub excommunicationis poena mandamus omnibus & singulis nostris subditis, quod tam nostra quam aliorum nostrorum iudicium iussa, præcepta, mandata, sententias & processus cuiuscumque continentiae aut tenoris firmiter sibi destinata deuote recipient, & fideliter exequantur, nuntios eorumdem beneuole acceptent, ad vindictam vel offensionem nullatenus prodeant, per proprium sigillum, si habuerint, in signum executionis celebratae literas ipsas una cum subscriptione muniant & consignent. Si quis autem contempitor vel neglector fuerit in aliquo præmissorum, ad præfatam poenam, & nihilo minus parti læsæ teneatur ad resarcendum expensas & damna pariter & interesse, præmissâ nostra taxatione vel iudicium eo-

Concil. Tom. 33.

S l l l ij